



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **CHINHOYIENSIS*** PRAEFECTURA
CHINHOYIENSIS

AD DIOECESIS GRADUM ATTOLLITUR Cum Praefectura Apostolica Chinhoyiensis, in finibus Zimbabwe, divina nempe virtute atque industria Missionariorum labore haud exigua fidei christianae cepisset incrementa, bene fieri Nobis visum est, Petri successoribus, si eadem circumscriptio in formam dioecesis redigeretur : simul enim per hoc meritam laudem praeconibus Evangelii reddi putamus, simul animum addi omnibus ad novos labores ineundos fructusque laetos metendos : solum enim praedicata christiana religio parit aeternam salutem. Auditis ergo Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione praesunt, aequo animo de apostolica Nostra potestate Praefecturam Chinhoyiensem ad dioecesis gradum et dignitatem evehimus, cum iuribus talium Ecclesiarum propriis. Erit autem nova circumscriptio Sedi metropolitanae Hararensi suffraganea, atque iurisdictioni Congregationis de Propaganda Fide obnoxia. Episcopus Chinhoyiensis sedem suam in urbe vulgo Chinhoyi collocabit ; cathedram vero suae iurisdictionis in templo Corporis Christi, quod in eadem urbe surgit, factis nempe iuribus cathedralium templorum, sic ut iure Canonico statuitur. Cetera omnia ad leges ecclesiasticas temperentur, ceterum Venerabilis Frater Patricius Coveney, Archiepiscopus tit. Satrianensis, Pro-Nuntius Apostolicus in Zimbabwe, vel quem ipse legaverit, has Litteras Nostras in rem deducat, factis nempe facultatibus quae rei expediendae necessariae sint ; atque re confecta documenta exaret atque ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione cito mittat. Hae vero Litterae in perpetuum valeant, effectusque habeant. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die duo de tricesima mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo quinto, Pontificatus Nostri octavo.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI	IOSEPHUS Card. TOMKO
<i>a publicis Ecclesiae negotiis</i>	<i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Laurus Governatori, *Protonot. Apost.*

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana